



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 52. Joannis Gelidæ fata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI.
A.C. 1556.

S. LII.

Joannis Gelidæ fata.

Thuan. l. 17. *Schottus & Nicol. Ant. in Bibl. Hisp. Mirans Script. Sæcul. XVI.* Eodem hoc anno Joannes Gelida Hispanus celebris Philosophus, ac humanioribus literis haud leviter tinctus vivis ereptus est. Hic Valentiae natus, cum sub rudioribus Magistris apud suos Philosophiæ operam dedisset, Lutetiam Parisiorum ad Universitatem tum toto orbe celeberrimam pervenit, ubi ingenii acie excellens inutiles quæstiones, quæ in scholis agitantur, pertæsus magis solidam studiorum rationem inquirebat, nil eorum prætermittens, quibus ad ampliorem eruditionem, rerumque cognitionem pervenire posset. Præcipue Fabri Stapulensis, qui literis renascentibus facem præsefererat, Magisterio usus puriorem Græcæ, ac latinæ linguæ scientiam hauriebat, animumque ad Aristotelem illustrandum adjiciens, eundem magna Auditorum frequentia in Cardinalis Monachi Schola non sine nominis sui fama interpretabatur. Inde Burdigalam delatus Gymnasio præfuit, eoquod Andreas Goveanus per Joannem Lusitanæ Regem in patriam eo fine evocaretur, ut Conimbricensi Universitati initium daret: Goveano autem in Lusitania mortuo Gelida a Senatu, populoque Burdigalensi in Rectoris munere confirmatus est.

est, qui etiam haud minorem, ac ejus Sæcul. XVI.
 Prædecessor, gloriam sibi comparavit: A. C. 1556.
 Tandem in eadem urbe hoc anno die
 decima nona Februarii superstite uxore,
 ac unica Filia obiit, plusquam sexa-
 ginta annos natus. Hic idem plurima
 in publicam lucem editurus credeba-
 tur; ast paucas duntaxat ejus episto-
 las unacum aliis Arnaldi Fabritii lite-
 ris Jacobus Businus Anno Christi mil-
 lesimo quingentesimo septuagesimo pri-
 mo Rupellæ publici juris fecit, ut hoc
 veluti ultimo pietatis officio bene me-
 rito de se Præceptori gratiam potius
 rependeret, quam declararet, quod hæ
 epistolæ expectationi de tanto viro con-
 ceptæ responderent.

§. LIII.

Joannis Forsteri Protestantis obitus.

Sub idem ferme tempus, quo Gelida *Thuan. l. c.*
 obierat, pariter hoc anno Joannes
 Forsterus ex Protestantibus celebris
 Theologus naturæ debitum solvit. Hic
 Augustæ Vindelicorum Anno reparatæ
 salutis millesimo quadringentesimo
 nonagesimo quinto natus, Vir erat lin-
 quæ Hebraicæ notitia clarus, quapro-
 pter ad Wittembergensem Cathedram
 evocatus ibidem longo tempore eandem
 linguam tradebat, tandem vero Anno
 Christi millesimo quingentesimo quin-
Hist. Eccles. Tom. XLII. Ff quage-